

salicis, ulmi, harundinis suco, cummi, resina. His pri- 15  
mum aluum ipsam intus *<in>* totum ut quodam tectorio  
inlinunt et aliis amarioribus sucis contra aliarum bestio-  
larum auiditates, id se facturas conscientiae quod concu-  
pisci possit; isdem fores quoque latiores circumstruunt.

VI (7). Prima fundamenta commosin uocant periti, 16  
secunda *pissoceron*, tertia propolin, inter coria  
cerasque, magni ad medicamina usus. Commosis  
crusta est prima, saporis amari. *Pissoceros* super eam  
uenit, picantium modo, ceu dilutior cera. E uitium  
populorumque mitiore cummi propolis, crassioris  
iam materiae additis floribus, nondum tamen cera,  
sed fauorum stabilimentum, qua omnes frigoris aut  
iniuriae aditus obstruuntur, odore et ipsa etiamnunc  
graui, ut qua plerique pro galbano utantur.

VII. Praeter haec conuehitur erithace, quam aliqui 17  
sandaracam, alii cerinthum uocant. Hic erit apium  
dum operantur cibus, qui saepe inuenitur in fauorum  
inanitatibus sepositus, et ipse amari saporis. Gignitur  
autem rore uerno et arborum suco cummium modo,  
capit*<ur>* Af*<r>*ici minor, Austri flatu nigrior, aqui-  
lonibus melior et rubens, plurimus in Graecis nucibus.  
Menecrates florem esse dicit, sed nemo praeter eum.